

1570

inde sinus fauces delatus, tandem Corcyram pervenit; præteritique temporis moram diligentia ac virtute sarcire conatus, ubi amici Regis triremes sibi adjunxisset, egregium aliquod in hostes facinus meditabatur. Verum repente ingens mutatio præter omnium vota consecuta, universam consiliorum rationem perturbavit: non ejusmodi ab Philippo mandata se habere Andrea Auria dicente, ut suas Venetæ classi triremes confociaret. Qua re Senatus vehementer commotus, ac justo dolore percitus, conquerebatur: *ingentes apparatus, militum florem, triremium robur inutili ad Faderam cunctatione, una tantum Hispanici auxiliū spe absumpta; adulta jam aestate nihil actum; que summa adseveratione polliciti fuerant, minime præstitisse.* Quam igitur spem de foedere reliquam? quid in sociis firmamenti esse, dum bello difficillimo communī cum hoste implicata Republica, quæ nulla impensa summa cum facilitate, utpote quæ in promptu, atque expedita essent, exhiberi auxilia possent, vel pernegarentur, vel exitiali mora protraberentur? Pontifex quoque eam ob rem anxius regios compellere, querelas fundere, ad Auriam literas dare non cessabat: moras abrumperet; optimi Regis menti, ac fidei turpem derelictorum sociorum notam non inureret; turbulenta tempestate Reipublicæ non deesset. At regii varias excusationes necesse. Aurias, se quidem Pio satisfacere paratum esse, affirmabat; mandata ad ea, quæ cuperet, perficienda non sufficere; certiorem de conjungenda cum Venetis classe Regis sententiam expectari oportere, contendebat. His permoti Patres Zannio injungunt, Auria non expectato, consilia, quæ e dignitate, atque utilitate Reipublicæ sibi videantur, quæve rei opportunitas objecerit, capiat; ne diutius classem inutili otio torpere sinat.

Pristinus interim ille in Pio ardor animi, quo initio Venetorum causam amplexus fuerat, assurgebat; reliquis detersis curis, ac sollicitudinibus, totus in christianam rem incumbebat; in foedere procurando, auxiliis parandis, Principibus in communem hostem incitandis versabatur. Duodecim Venetæ triremes pontificio ære Anconæ armantur, earum imperio Marco Antonio Columnæ, Paliani Duci, tradito, qui statim ad Senatum plenas officii literas dedit, quibus egregium in Rem publicam studium testatus, eximia in se, patrem, familiamque

*Andreas  
Auria ne-  
gat confo-  
cianda  
classis man-  
data se ha-  
bere.*

*Senatus ad  
Zannium  
mandata.*